



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1691.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

Jacobus; Cæsus enim fugatūsque unā cum Gallis subsidiariis, amissō Dublino, Drogheda, King's alio, aliisque urbibus præcipuis rursus in Gallias vela facere coactus fuit. Domita tandem à Veneris post toleratam obsidionem mensium 17. Malvasia, qua expugnata nunc tota Peloponesus est Domini Veneti.

Dux Morosinus Venetiis solenni pompa recepit pileum & ensim à Romano Pontifice religioso ritu consecratos, è summo armorum Præfecto, factus Reipublicæ Princeps.

*ANNVS 1691.*

Exente Januario Alexander VIII. Roma solenni ritu præsentibus Cardinalibus, promulgavit bullam, jam formatam & subscriptam proximè elapso mense Augusto, quâ assertas à Clero Gallico in comitiis 1682. quatuor propositiones de authoritate seu Pontificia, seu Ecclesiæ universæ, actaque ab eo circa *Regalia extensionem*, & à quocunque contra locorum ac personarum Ecclesiasticarum immunitates ac privilegia rescidit, ac nullius valoris, aut roboris fuisse, aut fore unquam declaravit. Defunctus hoc actu solenni, quem non nulli in-

*digitat*

digitarunt Pœnitentiam gloriosam de indul-  
tis scilicet antea Coronæ Francie, vitâ pari-  
ter sanctus obiit die postero Februarii primo  
magno suorum mœrore elatus.

Alexandro post longam 5. mēsium con-  
sultationem tandem Cardinalium votis suf-  
fектus fuit mense Julio. Antonius Pignateli-  
lus Neapolitanus, qui Innocentii XII. no-  
mine insigniri voluit Zeli cognominis an-  
tecessoris in afferenda disciplina Ecclesiasti-  
ca æmulator acerrimus.

Mense Julio congregariur cùm Turcis  
propè Salanckemenum ad Danubium acie  
admodum cruenta Princeps Ludovicus Ba-  
densis, & post aliquot horarum pugnam  
acerrimam perruptis demum castris Barba-  
ros in medio conclusos strage ab hoc Bello  
Turcico inaudita prosternit. Cecidere ex  
Turcis summus Vezirius- & præcipui quiq;  
Duces cum integro robore exercitus, cam-  
pus per aliquot milliaria Germanica stratus  
oppletusque cadaveribus; in castris reperta  
154 tormenta majora ænea, præcipuum Ve-  
ziri vexillum, & prope innumera armorum,  
commeatuum & jumentorum multitudo.

In eunte Aprili cedit in Gallorum po-  
tatem Nicea arx in finibus Liguriæ Imperii  
Sabau-

Sabaudici munitissima quæ , integras olim  
Turcarum vires sub Solymanno fregerat.  
Ab obsidione tamen Cunei turpiter fugan-  
tur , impedimentorum etiam parte dereli-  
cta , ne cum Eugenio Sabaudiæ Principe ad  
ferendas suppetias celerante pugnam con-  
serere cogerentur. Eisdem extorta ab Ele-  
ctore Bavariæ , copiarum Cæsarianarum  
Duce supremo, Fossanum , Savilianum &  
Saluciæ ; & paulò post etiam Carmaniola  
cum ingenti commeatuum copia, quam ibi-  
dem Galli coacervârant.

Res & ditio omnis Regis Jacobi in Hy-  
bernia redacta hoc anno est ad angustias u-  
nius Limimericæ, quæ deinceps & ipsa longa  
obsidione fatigata se dedidit Guinkelio Du-  
ci Wilhelmo 6 Octobris.

Mense Decembri renunciatus est à Rege  
Hispaniæ Carolo Belgii catholici Guberna-  
tor perpetuus Maximilianus Emmanuel E-  
lector Bavariæ, cum ea omni in rebus geren-  
dis autoritate , quâ absolutus Regionis  
Dominus uti possit. In pensionem menstruū  
eidem assignata 70000 Imperialium,

*ANNUS 1692.*

**T**andem etiam Varadinum majus, inter  
præcipua Hungariæ munimenta, posita

per